

attigisse, *D. DURRIUS* in *Notte. ad Isagog. Aristotel. Piccarti* suspicatur. Utrobique enim animæ intelligentis nobilitatem firmioribus gravioribusque argumentis adstructam esse, *THEMISTIUS* jamolim memoriæ prodidit. Nec desunt: qui suspicantur, Aristotelem habuisse in animo, post ea, quæ de anima in *Metaphysica & Physica* tradiderat, graviores atque obscuriores *Quæstiones de operationibus intellectûs tractare.*

APHORISMUS XXI.

Alia è sensu, eoque tum cognoscente, partim externo, Libro nempe de SENSU & SENSILIBUS.

EXEGESIS.

§. 1. Justo ordine *PARVA* nunc *NATURALIA* sequuntur: quæ certè ipsa nil aliud quàm *Librorum de Anima* sunt supplementum. Posteaquam enim Philosophus de omni communiter animâ, seorsimque de singulis etiam illius potestatibus ac viribus, quas & *potentias* vocant, tractas-